

Johannes Crocius   Hermannus Gerhardus


**Disputatio Theologica Quinta, Quae Religionem Et Ecclesiam Evangelicam Vere Catholicam esse, contra Pontificiorum imprimis Martini Becani cavilla adstruit, De cuius thesibus**

Marpurgi Cattorum: Hutwelckerus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746348487>

Druck   Freier  Zugang







95

52<sup>b</sup>.6.



Ja 1092 (95)



Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione prepopmtica Academia Genensic cum eo  
discederet idem Ditherrus.
3. } Orationes inauourales Academia Guodunensis Patavoru.  
4. } Polyvardi. Walai. Anno. 1620.  
5. } Thysii.  
6. } Hommi.  
7. } Sinapij.  
8. Ravi Panegyria Orientalib; linguis Trajecti ditta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostochi. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpij de Vinbu; liberi Arbitrii ep II. cor III, 4. s. 1645.
15. Samhauen; Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capiti; Vad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc; De tribu; testib; in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zacharianae.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.



24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.
25. D. Hammekenig de Persona Christi. 1645.
26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoch. 1692.
27. ———. Pars II. ———
28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delecta Mamp. 1619.
29. ———. Vano. per Europā Doctrina cum script. S. conformitas.
30. ———. De Apostolici nominis causis.
31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Vang. Doctrina.
32. ———. De Catholicismo Vot. Vangelicae.
33. ———. De Antiquitate Relig. Vangelicae.
34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finckium. 1608.
35. ———. De Analogia seu proportione.
36. Pezelius de S. Coena Stempforti 1602.
37. Jossani Theses contra Vangelicos. ibid. 1605.
38. Ravenspengeri Samson redivivus. ibid. 1619.
39. Heyderi Ruae quaestionum Theol. Maynurgi. 1611.
40. Eglani de Generalia Christi. ibid. 1608.
41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.
42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Pecc. de Baptismo.
43. ———. De Predestinatione. ibid. 449. Doctrina
44. ———. ~~Compensationem~~ ~~non~~ ~~est~~ ~~ferendum~~ ~~Doctrina~~
45. Conradig Vossig de Idolatria Pontificiorum in cultu Vrbani.
46. ———. Stempfort. 1608.
47. ———. De Idolatria eorum in cultu sanctorum.
48. ———. In cultu Imaginum Pontificiorum.



49. P. Petri Roeftii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in  
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae  
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.  
Grosae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.  
2. 3.  
3. 11.  
4. 24.  
5. 29.  
6. 2.  
7. 2.  
8. 38.  
9. 24.  
10. 39.  
11. 4.  
12. 4.  
13. 4.  
14. 4.  
15. 4.  
16. 4.  
17. 4.  
18. 4.  
19. 4.  
20. 4.  
21. 4.  
22. 4.  
23. 4.  
24. 4.  
25. 4.  
26. 4.  
27. 4.  
28. 4.  
29. 4.  
30. 4.  
31. 4.  
32. 4.  
33. 4.  
34. 4.  
35. 4.  
36. 4.  
37. 4.  
38. 4.  
39. 4.  
40. 4.  
41. 4.  
42. 4.  
43. 4.  
44. 4.  
45. 4.  
46. 4.  
47. 4.  
48. 4.  
49. 4.  
50. 4.



a - a	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A - C
A - B	16
35	A - C
B - 36	A - C
A - 00	A - C
A - C	A - C
A - 00	A - C
A - B	A - B
A - D	A - K
A - 00	51
40	24
128	24
72	20
A - 00	
A - D	
19	
16	
32	
A - G B	
A - C	
A - 00	
A - C	
A - C	
B - G 1	
A - D	



DISPUTATIO THEOLOGICA

QUINTA,

*Quae*

RELIGIONEM ET EC-

CLESIAM EVANGELICAM VERE CA-

tholicam esse, contra Pontificiorum imprimis

Martini Becani cavilla adstruit,

*De cuius thesibus,*

Os & sapientiam Deo largiente,

Præside

IOHANNE CROCIO, S. S.

THEOLOGIAE DOCTORE, ET E.

jusdem in Academia Marpurgenſi Pro-

fessore primario,

*Publicè in Theologorum Auditorio proposita,*

*Respondente*

HERMANNO GERHARDO BALHOR-  
genſi Haſſo.

Marburgi Cattorum,

Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,

Anno M D CXX.

32.

3

19

11.

4

29.

3

38.

39.

42.

50

43.

44.

4448.

447.

46.





REVERENDIS, CLARISSIMIS, PIENTISSIMIS  
& Doctissimis Viris

Dn. GREGORIO SCHONFELD Seniori, S. Sanctæ  
theol. D. Ecclesiærum Hassiacarum & reip. literariæ eme-  
ritissimo patri nec non synedrii Ecclesiastici Hassiaci ad-  
fessori gravissimo.

Dn. CASPARI STURMIO, Verbi divini D. ac Pro-  
fessori *ἐνδοξοτάτω* Consistorij spiritualis affessori amplissi-  
mo, D. præceptori, Mecænatibus ac patronis suis reve-  
renter colendis.

Hanc disputationem Theologicam in perpetuæ  
subjectionis, observantiæ & nunquam desi-  
turæ gratitudinis arrham officiosè offert & in-  
scribit

Hermannus Gerhardus  
Balhornensis.





**P**ontificij eam demum religionem & ecclesiam veram esse tradunt, quæ est catholica. Quæ de re quid sentiendum sit, disputationis primæ sectione secundâ diximus. Jam queritur; Num religio ecclesiæ Evangelicæ sit catholica? *Negativa Pontificijs placet, nostra est affirmativa. Animus nobis est litem istam hæc vice cernere: Faxit Deus, ut verum à falso prudenter discernamus, catholica, quam tenemus, religioni, adhareamus & in catholica, in qua per Dei gratiam versamur, ecclesia ad fine usq; perseveremus.*

I.

Cùm adversarii religionem & ecclesiam evangelicam catholicam esse superbè inficiantur, & nomen & rem nobis denegant. Jam nomen in se spectatum non moramur; partim quia sine re est inanis titulus, quo ipsa fidei & ecclesiæ veritas non magis probatur, quàm Sardicæ ecclesiæ vita, ex eo quòd vivæ nomen gereret; *Nomen sine actu & officio suo nihil est*, inquit Salvianus lib. 4. de provid. partim quia apostolorum fides, quam tenemus, fuit vera & ab omnibus bonis talis habita, priusquàm isto titulo honoraretur, partim quia hunc titulum etiam perversarum opinionum auctores sibi usurparunt, nihilo inde meliores facti. *Multi vocantur Christiani (Catholici) & in rebus non inveniuntur; quia hoc quod vocantur, non sunt: id est, in vita, in moribus, in FIDE, in spe, in charitate,* inquit Augustinus tom. 9. tr. 4. in cap. 2. 1. epist. Joh. vide Lactantium l. 4. in st.



c. 30. Irenæum lib. 1. c. 30. è Pontificiis Sixtum Senensem l. 4. biblioth. Roffensem artic. 3. contra Lutherum. Eleganter verò juxta & graviter Chryostomus homil. 19. in cap. 7. Matth. *Sic enim & Johannes cum de hereticis scripsisset epistolam, non dixit, si quis venerit ad vos non habens nomen Christi (catholici) nec a-ve ei dixeritis, sed si quis nō attulerit istam doctrinam. judicium Christianitatis non ad doctrinam retulit, sed ad confessionem: quia non nomen solum Christi (catholici) Christianum facit, sed etiam veritas Christi. quia in nomine Christi (catholico) multi ambulant: in veritate autem ejus (catholica) pauci!* Invideant ergò nobis nomen, quin etiam denegent: Novum non est dignis titulos denegari, indignis conferri. Nunquam tamen, quisquam religionem & ecclesiam nostram isto indignam esse titulo demonstrabit, cum rem ipsam habeamus: *Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisquam Paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur,* iterum præclare scribit Augustinus tractat. 5. in 1. epist. Joh. c. 3.

II.

Ederushomo Pontificius lib. 5. oecon. bibl. in epil. *Catholicum esse dicit, qui vera fidei non præponit cujusquam auctoritatem.* Benè est. Assensum præbemus! Agnoscant ergò nos pontificii pro catholicis, aut ostendant, cujus auctoritatem veræ fidei præponamus. Non sanè Papæ, quod magno cum causæ suæ intertrimento experiuntur. Non Calvinii, non Lutheri, quod isti quidem impudenter, sed repugnante ipsâ rei evidentiâ, vociferantur.

III.

Gregorius de Valentia nominis rationem in triplici universalitate collocat; 1. doctrinæ de Deo & creaturis. 2. Loci. 3. Temporis. Quartam suggerit Bellarminus lib. 4. de not. ecclesiæ



3  
7.  
f  
38.  
39.  
42.  
43.  
44.  
4448.  
447.  
46.  
3  
7.  
f  
38.  
39.  
42.  
43.  
44.  
4448.  
447.  
46.

clesiæ c. 7. cùm dicit, ecclesiam catholicam completi debere omnes nationes, omnium hominum genera. Becanus libr. de eccles. Christi, Rom. & reformata quæ. 3. concl. 3. quintam addit, quæ est universitas salvandorum, ut ea demùm catholica dicatur religio & ecclesia, extra quam nemo salvatur.

IV.

Jam fatemur, eam demùm religionem catholicæ fidei titulum mereri, quæ universam doctrinam de Deo, ejusq; operibus & quæ eis subjacent, comprehendit, eam demùm catholicam ecclesiam jure appellari, quæ istam profitetur. Verùm ne ambiguitas cuiquam imponat, τὸ καθόλου ἐγγράφον seu scripturæ conforme intelligimus, hinc fidem, hinc ecclesiam dignosci volumus, valere jussâ hæreticorum peste, quæ nullum non inficit religionis caput; quod καθόλου non ineptè ἀρχαῖον seu enorme vocaveris. Sistimus ergò fidem nostram omnibus judicandam. Falsa esto & nomine catholico indigna, si non comprehendit universam prophetarum & apostolorum doctrinam, ad salutem scitu necessariam. Hinc enim cognomen catholiciviri est illustrandum. Quod Chrysostomus olim monebat homiliâ 19. in Matth. c. 7. *Si, inquit, ergò inveneris hominem Christianum, statim considera; si confessio ejus convenit cum scripturis: verus est Christianus.* Ubi autem nos Christianos esse fides ostendit, quis catholicos esse neget? Rectè enim Pacianus inquit, *Christianus mihi nomen est, catholicus verò cognomen.* de fide si constiterit, de ecclesia dubitare non licet: *ubi enim fides, ibi est ecclesia: & ubi non est fides, ibi ecclesia non est,* inquit idem Chrysost. homil. 6. in cap. 4. Matth. *propterea sancta & catholica est ecclesia, qui rectè credit in Deum,* de cons. dist. 3. cap. Prima igitur. Et Theodosius Imperator sanxit, ut illorum duntaxat ecclesia diceretur catholica, qui trinitatem divinam æquali honore colerent. Sozom. libr. 7. histor. eccles. cap. 4. edit. Basil. anno 1570.



## V.

Religionis nostræ diffusionem per orbem terrarum adversarii negant de tempore præterito, præsentis & futuro. Intellegitur autem diffusio vel simultanea & perpetua, vel successiva. Si illam requiras, nulla unquam fuerit in orbe vera fides, testibus adversariis & suffragante historiæ veritate. Illi enim fatentur, ne quidem in hunc usq; diem contigisse, ut ecclesiæ fides uno tempore totius orbis partes occupaverit. Imò Driedo illam diffusionem necessariam non esse palàm profitetur, quod nisi reliqui cum ipso agnoscant, quomodo religio Christiana tempore Christi in carne versantis catholica dici poterit, ipsi viderint. Non enim per universum orbem fuit diffusa, quin potius angustiis Judææ limitibus circumscripta.

## VI.

Historia verò apostolicam fidem nequaquam toto seculi seculorum cursu in omnibus & singulis orbis provinciis locum habuisse, ad oculum ostendit. Quæ ergo est insania, isto nomine nostram religionem velle suspectam reddere? Si de tempore præterito adversarii agant, unde probabunt, doctrinam nostram notam non fuisse Asiaticis, Africanis, Indis, non Hispanis, Lusitanis & aliis, quos enumerant, populis? Teneamus, quod supra probavimus, apostolorum fidem. Eam igitur nunquam orbi toti innotuisse asserant, aut desinant nos calumniari.

## VII.

Becanus non moratur quicquid de apostolorum tempore dicamus: urget tempus præsens. *Non, inquit, est in Asia, Africa, India. Nec item in Hispania, Lusitania, Lotharingia. Nec in melioribus partibus Italiae, Gallie, Polonie. Nec deniq; in omnibus provincijs Germanie, aut Belgij.* Resp. 1. Hic verò nobis dicat, num illa vera fides esse nequeat, quæ simul omnibus istis locis publicè non prædicatur? 2. Unde homini constat, nemini in Hispania,



Hispania, Lusitania, Lotharingia fidem nostram probari? neminem esse, qui spiritus vinculo nobis sit istis in locis conjunctus? Omnes Baali genua flectere, qui sub anti Christo vivunt. 3. Quas meliores Italiae, Galliae & Poloniae partes intelligat, ariolari nolumus; sed nec divinare possumus, quis sciat, in istis nullum ecclesiae nostrae membrum versari? Idem de Germaniae & Belgij provinciis dicimus. Ubi interim Anglia & Scotia Hybernia, Bohemia, Hungaria, Dania, Suecia, potentissima orbis Christiani regna? Aliter sane Bellarminus Romae quam Becanus Viennae sentit. Ita enim ille queritur praefat. in tom. 1. controv. *Quis ignorat pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam, mox Germaniam penè totam occupasse, inde ad Aquilonem & Orientem profectam; Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumpsisse: tum ad occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore populata; ad extremum alpes transcendisse, & in Italiam usq; penetrasse?* Et in orat. praefixa tom. 4. controv. Porro inquit, *volantes currus miram indicant velocitatem, quã nova ista secta (Evangelica) instar pestiferat abis sese per varias regiones effudit. Nam non contenta occiduis & aquilonaribus regnis, ad Orientem quoq; & Meridiem ad Gracos, ad Indos, ad novum orbem navigare ausa, &c. quanquam & à Gracis cum ignominia repulsa fuit & apud Indos non permisit Dominus, ut vestigium figere posset.* 4. Insignis est paralogismus: jam non est toto orbe diffusa. Ergo nec unquam fuit. 5. Bellarminus docet, si vel una sola provincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè dici ecclesiam catholicam lib. 4. de notis eccles. cap. 7. Non ergo religio nostra catholica esse desineret, etsi nullus esset in Hispania, nullus in Lusitania, nullus in melioribus, quas Becanus vocat, Galliae & Poloniae partibus ei additus, sed tota unius in Germania provincia limitibus circumscriberetur.

Instat



IIX.

Instat: *Et verisimile, nunquam futurum, ut per totum orbem diffundatur.*

Resp. i. Satis nobis est eam esse apostolicam: Si Deus totū orbem propter ingratitude eā imposterum dignari non vult, ideō ne catholica esse desinet? Apostolus sanē prædixit, antiChristum longè lateq; dominaturum esse, abolendum autem demū illustri adventu Christi, quod qui considerat, Beani ineptias non potest non ridere. Quibus eū colorem vult afferre, putidis calumniis & apertis mendaciis fidem suam suspectam reddit. 1. scribit Reformatæ ecclesiæ ministros hæere domi in suis angulis, ut olim Donatistæ. 2. eos non habere spiritum apostolorum, quibus dictum est, *Accipite Spiritum sanctum: Euntes in universum mundum &c.* quem retineant catholici. 3. non esse paratos pro suâ fide mori. 4. Nunquam auditum esse, quòd alacri & constanti animo persecutiones optarint ac sustinuerint. 5. quærit, cur non cœlibes maneant, ut apud gentiles ministerio suo fungi possint? 6. cur uxores ex earū consensu juxta Christi consilium non deserant? 7. cur non apostolos imitentur, qui relictis omnibus per universum orbem profecti, evangelium prædicaverint? 8. concludit, uxorios esse, non evangelicos, & magis propriæ voluptati, quàm aliorum salutem operam dare:

IX.

Ad 1. Resp. aperta calumnia. i. Donatistæ solius Africæ limitibus veram ecclesiam circumscribebant: utri verò istorū exemplo Evangelicæ an Papistæ fidem certo affigant loco, orbis Christianus judicet. 2. Donatistam verò esse, quicumq; ad exterarum nationes evangelii plantandi causa sine speciali vocatione non abit, quo argumento constat? penitus nullo. cur ergo nobis sit probrosum? Ad 2. Resp. 1. Christus Matth. 28. & Marc. 16. finem muneris apostolici exprimit, qui erat propaga-  
tio



tio Evangelii per totum mundum. Non verò jussi sunt singuli apostoli universum orbem peragrare: Non enim peragrarunt. Nisi fortasse eos morem Christo non gessisse dicas. 2. Apostoli certis ecclesiis non alligati debuerunt pluribus operam præstare. Fuerunt enim extraordinarii ministri. Ordinarii verò suæ ecclesiæ sibi commendatæ invigilent. Si non vocati ad alias currunt, sunt *ἀποστολικοὶ ἐπίσκοποι*. 3. Eundem spiritum habent apostoli & doctores & pastores Ephes. 4. Et si hi non ad exterarum nationes excurrant, modò eandem cum apostolis retineant fidem. 4. Si Becano credas, vetustissimi ecclesiæ doctores, præfules, episcopi, qui ad exterarum nationes non iverunt, non habuerunt Spiritum apostolicum. 5. Pontificii spiritum Pharisaorū potiùs, quàm apostolorum habent, de quo Christus Matth. 23. 15. *Vae vobis Scribae & Pharisei hypocrite, quoniam circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum; & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quàm vos.*

X.

Ad 3. Resp. Quis Becanum de Evangelicorum interiori cordis affectu judicare docuit? Pseudo catholicos papistas persequi alios malle, quàm persecutionem perferre, testis est longi temporis experientia. res verò ipsa hominis calumniam retundit. Quis enim eos paratos esse neget pro fide sua mori, qui magno numero fuderunt pro religione sanguinem? Ad 4. Mendacium refutat Gallia, Anglia, Hispania, Belgium, Germania. Vide majus Martyrologium à parente meo D. Paulo Crocio p. m. germanico idiomate donatum.

Ad 5. R. 1. Christus non mandavit; Apostoli non suaserunt. Scriptura nusquam legem coelibatus sacerdotibus imposuit. Licet ergò sacerdotibus nubere. 2. Apostolo teste, satius est nubere quàm uri, 1. Cor. 7. quàm centum scorta alere, quam spurcitiem papisticus spiritus legitimo sacerdotio anteponit. 3 non nulli apostoli fuerunt uxorati. Vide Eusebium l. 3. hist. eccles. ca.

B

27. pag.



27 pag. mihi 41. 4. Paulus 1. Cor. 9. 5. docet se facultatem habere sororem uxorem circumducendi, ut & reliqui apostoli, & fratres domini & Cephas.

Ad 6. Resp. 1. Cum res postulat, omnia relinquenda esse, etiam uxorem propter nomen Christi, omnes docemus. 2. Christum velle ut quicumque discipulus audire cupit, deserat uxorem etsi eam servata possit Christo servire, nusquam legimus. 3. Id autem non velle pontificio sensu, vel Paulus testari potest, qui uxorum abiectionem in omnibus omnino conjugibus damnat, 1. Cor. 7. 4. Ne iam dicamus neminem sive auditorum, sive doctorum Christi discipulum fore, nisi in coelibatu vitam transigat, si his hominibus credas: Christum enim non de solis apostolis, sed de quibusvis qui nomen ipsi dant, eo loco agere res ipsa docet.

### XI.

Ad 7. Resp. 1. Apostolos suas conjuges aut earum consuetudinem Christo precipiente vel saltem suadente deseruisse, è scriptura non constat, contrarium verò Pauli verbis non ineptè adstrui videtur 1. Cor. 9. 5. 2. Alia est apostolorum ratio, qui uni ecclesiae non sunt praefecti; alia ordinariorum ministrorum, quorum fidei certae ecclesiae commendantur. Etsi ergò apostoli certis de causis certo in loco suas conjuges reliquissent, ea tamen necessitas sacerdotibus jure divino non incumbit. 3. Perspicuus verò est canon inter apostolicos, qui circumferuntur, sextus: *Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat. Si verò rejecerit, excommunicatur, sed si perseveraverit, deijciatur.* 4. Tam Graecae quam Latinae ecclesiae doctores suis in locis sunt morati: dices eos non imitatos apostolos? 5. Celebris est Paphnutii historia, qui concilio Niceno, cum lex coelibatus ferè omnibus arrisisset, etiam uxoratos in ministerio ferendos esse, gravibus rationibus persuasit. 6. quid? quòd inter alias Episcopi conditiones etiam  
hac



hæc recensetur, ut unius uxoris vir sit, & sua domui bene præsit  
& liberos habeat morigeros &c. 1. Timoth. 3. 2. 3. 4. Tit. 1. 6.

Ad 8. Resp. putida est calumnia, responso indigna. Satiùs  
est adhærere uxori suæ quod divini est instituti, quàm scorto,  
quod Papa sacerdotibus permittit. Et uxorati melius Deo ser-  
vire possunt, quàm vagis libidinibus mancipati. Nisi fortè Deo  
servire non potuerunt, & uxorii magis fuerunt Episcopi & viri  
apostolici, qui unam uxorem ducere, domui benè præesse &  
filios morigeros habere debebant, 1. Tim. 3.

XII.

Ratione temporis religionem nostram catholicam esse  
negant, quòd 1. non ab initio fuerit. 2. non sit duratura usque ad  
mundi finem. Priùs de tempore præterito ad antiquitatem  
pertinet, de qua paulò pòst dicendum erit. De futuro Becanus  
ridiculè differit, Id n. ex triplici capite colligi scribit, 1. ex testi-  
monio Christi, Matth. 12. 25. cum ecclesia reformata sit contra se  
divisa. 2. ex responso Gamalielis, Act. 5. 36. eò quòd opus nostræ  
ecclesiæ non sit ex Deo. 3. ex quotidiana experientia, Luthe-  
ranos paulatim minui ac perire; Alios enim ad papismum re-  
dire, alios ad Calvinismum tendere, paucos superesse, qui sint  
puri puti Lutherani, vide p. 138. 139.

XIII.

Ad 1. Resp. Est sanè quædam inter nos sententiarum va-  
rietas, ita tamen, ut inter eos quorum alii se Lutheranos vocant,  
alii sed immeritò Calviniani appellantur, stet immota fidei  
fundamentalis unitas. qua de re alibi agitur. Nullum verò un-  
quam tempus chronologi annotarunt, quò nulla fuerit in do-  
mo Dei sententiarum discrepantia: quam tamen, Deo ita sapi-  
enter moderante, non statim ruina est consecuta.

Ad II. Resp. 1. Fidem ecclesiamq; nostram ex Deo esse per-  
suasi sumus, quia super prophetarum & apostolorum funda-  
mentum est exstructa. 2. Infirmatibus obnoxiam lubentes



agnoscimus, unde dissensiones oriuntur: Ab istis verò ecclesi-  
am immunem pronunciare, est ipsius verum in hac mortalita-  
te statum ignorare. 3. Nec Deus auctor est peccatorum, qui-  
bus vera fides & ecclesia contaminatur. Qui verò inde con-  
cludit, ecclesiam peccato obnoxiam ex Deo non esse, næ is &  
impietatem & stultitiam suam manifestè prodit. 4. Sicut ergò  
ecclesia quamvis peccatis obnoxia est ex Deo, licet Deus non  
peccati, sed sanctitatis sit auctor, ita fides ex Deo esse non desi-  
nit, quæ hominum dissensionibus turbatur, etiamsi Deus non  
sit auctor dissensionis sed pacis.

#### XIV.

Ad III. Resp. 1. Etiam à Christi doctrina quidam recesserunt ad Pharisæicos errores, istâ stante immota. Redeant ergò quidam Lutherani ad avitum papismi errorem. idè non perit fides evangelica certis personis non alligata. 2. Num papatum brevi interitum putabimus, quia multi eo deserto ad avitam apostolorum veritatem apud Evangelicos jam morantem transeunt? 3. Transitus è Lutheranismò ad religionem, quam Calvini nomine quidam traducunt, non est transitus ad diversam religionem, sed à quibusdam humanis opinionibus secessio. una enim est utrorumq; in fundamento fides. 4. Crepitum diaboli de Calvinistarum atheismo non magis in Becano moramur, quàm Christus in Pharisæis, cū Samaritanus audiret & diabolum habere diceretur. Ridemus verò Lancelotti de mox videndo fidei nostræ interitu vaticinium in hæret. quare pag. 6. ut Augustinus olim Paganos, qui religionem Christianam non ultra trecentorum sexaginta quinque annorum mansuram spacium esse fingebant l. 18. de civit. Dei cap. 54. A quorum vanitate alienus non fuit Johannes Taisnierius, qui anno 1572. ex astris prædixit, religionem Lutheranam intra triennium extirpatum iri.

Quid



## XV.

Quid verò de Bellarmini ratione dicemus? *Catholicam enim religionem & ecclesiam omnes nationes, omnium hominum genera complecti debere scribit, quod nemo facile de Evangelica concesserit.* Resp. 1. Ecclesia novi testamenti dicitur catholica respectu veteris; quia hæc potissimum solos Judæos, ista Judæos & gentes complectitur. quo sensu nostram religionem catholicam esse, quodnam pecus negaret? 2. Christi ecclesia erat catholica priusquam omnes nationes sub cælo comprehenderet. Christo enim in terra versante Evangelium non innotuit omnibus nationibus sub cælo. 3. Adversarii concedunt, veram fidem & ecclesiam catholicam esse non desinere, etsi in una tantum sit provincia. Ergò nostra religio catholica esse non desinit, etsi hodiè omnibus nationibus non prædicetur. 4. Jam ante tamen & nostra doctrina innotuit omnibus nationibus, quia apostolorum sonus exivit in omnem terram. idè enim est noster & apostolorum sonus, quod supra probavimus. 5. Ea adhuc hodie complectitur omnia hominum genera. Proinde catholicam esse nullo jure Bellarminus negat.

## XVI.

Ultima ratio est Becani, qui religionem ecclesiamq; nostram catholicam esse negat, ratione salvandorum: Ratio duplex. 1. quia cœpit primùm tempore Lutheri & Calvini. Ergò quot quot ante illud tempus per mille quingentos annos salvati sunt, extra ecclesiam reformatam salvatos esse necesse est. 2. quia num inter ea vel unus in ea salvatus sit, meritò dubitari potest & multa argumenta occurrunt in negantem partem. Ad 1. Resp. 1. Insignis illa & à multis multum expetita fidei & ecclesie reformatio Lutheri quidem & Calvini tempore est suscepta, non verò tunc primùm cœpit ipsa fides, non ipsa ecclesia. cujus caput & auctorem præter Christum agnoscimus omninò nullum. Lutherus & Calvinus ejus fuerunt ministri, à quibus fides nostra ne-



quaquam pendet. 2. Nemo per mille quingentos annos extra reformatam ecclesiam & fidem est salvatus, sed in ea omnes sunt servati, quotquot sunt servati. Nostra enim est apostolica fides, nostra est apostolica ecclesia, extra quam nemo servari potest. 3. Eadem fide sub Antichristi tyrannide in medio papatu servati sunt, quotquot sunt servati: multos autem servatos esse ipsi speramus.

XVII.

Ad II. Resp. Nempe si salus à Romano Pontifice ipsiusq; satellitum arbitrio pendet: Istius enim ira in fidei apostolicæ confessores adeò exarsit, ut eos non solum gladio, flammis & laqueo infestet, sed & quotannis æternis flammis Romæ adjudicet. Quod brutum fulmen metuat qui volet! Nos ad rem. 1. Omnes, quotquot in ecclesia reformata quocunque modo vivunt, servari nemo ex nobis asserit; Ea enim ab initio fuit ecclesiæ conditio, ut mali bonis fuerint remixti, hypocritæ veris Christianis, damnandi servandis. Nec satis est ad salutem veræ doctrinæ assensum præbere, nisi fiduciali assensu in unicum Christi meritum recumbas & fidem bonis operibus testaris. Matth. 7. 21. 2. Tim. 2. 19. Tit. 3. 8. 14. 2. Quotquot in nostra ecclesia Christi meritum in verbo oblatum verâ animi fiduciâ apprehendunt, eos justificari & vitam æternam consequi, nobis nulla est dubitandi causa.

XIX.

Quænam verò sunt Becano argumenta in negantem partem? *Primò, inquit, quia ipsi Lutherani & Calvinistæ de nullo nisi temerè id affirmare possunt. Nec ullus apud eos fecit miracula, quibus persuaderet sanctum se esse.* Resp. 1. Cur de nullo nisi temerè affirmare possint? Certitudo est duplex; una *fidei*, altera *charitatis*. Illa nititur rebus infallibilibus, nempe promissione evangelii, fide nostra & interiore Spiritus sancti testimonio, quod non fallit. 1. Johan 3. 21. Rom. 8. 16. *Hæc ex apparentibus*



tibus fidei effectis de ipsa fide ejusque causis ac effectibus, electione, justificatione, glorificatione judicat. *Prior* concernit salutem propriam: *posterior* alienam. Ita Paulus per suasionem fidei novit se & omnes electos à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, esse inseparabiles Rom. 8. 38. depositum sibi servatum iri. 2. Tim. 1. 21. coronam justitiæ sibi repositam esse, 2. Tim. 4. 8. Certitudine charitatis novit fidem & charitatem Romanorū Rom. 15. 14. perseverantiam Hebræorum Heb. 6. 9. electionem Thessalonicensium, 1. Thes. 1. 4. 2. Thes. 2. 13. prior persuasio est infallibilis: posterior potest falli. Jam ergò quotquot Lutherani & Calvinistæ verâ fide Christum apprehendunt ipsiusq; meritum sibi applicant, illi de salute sua possunt esse certi certitudine fidei: Ita ego de mea sum certus: alius de sua. De proximi verò salute qui in ecclesiâ nostrâ veræ doctrinæ adhæret, se in solius Christi merito conquirere proficitur & fidem bonis operibus commendat, christiana charitas dubitare non permittit. Ego verò de ea sum certus certitudine charitatis. 2. Sanctitatis certitudinem à miraculis Jesuita ineptè suspendit: Ista enim probandi ratio meritò nobis est suspecta: Tum quia Deus nusquam hoc criterii genus sanctis suis commendavit: Tum quia multi fuerunt sancti, qui nullis miraculis fuerunt illustres; Tum quia miracula ediderunt impuri hypocritæ: Tum deniq; quia Christus ex miraculis salutis certitudinem minimè dependere, graphicè ostendit Matth. 7. 22. 23.

XIX.

*Secundò*, inquit Becanus, *si aliquis in ea salvatus esset, vel solâ fide sine operibus salvatus esset, vel fide & operibus simul. Non solâ fide, quia fides sine operibus mortua est, Jacob. 2. 17. At mortuâ fidem nemo salvari potest. Nec fide & operibus simul, quia qui ita salvantur, non Lutherani aut Calvinistæ, sed Catholici sunt.* Resp. Adde, vel solâ fide per charitatem efficaci. Neminem sanè servari fide & operibus simul, agnoscimus: clara enim sunt verba



verba Pauli Ephes. 2. 8. 9. *Gratiâ enim servati estis per fidem, idq̃ non ex vobis: DEI donum est, NON EX OPERIBUS, ne quis gloriatur. Et Tit. 3. 5. Non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Sed nec quenquam adultorum sine bonis operibus servari concedimus. Quid ergo? Ambiguitas est in phrasibus, solâ fide servari, & sine operibus servari. Particula enim sola accipitur vel de *existentia* fidei, vel de *operatione*, ut dicatur aliquis servari, vel fide solâ existente, seu separatâ ab operibus, seu carente operibus bonis, vel fide cum operibus conjunctâ, solâ tamen salutem apprehendente: priore sensu salus fidei tanquam causæ instrumentali & à scripturâ & à nobis adscribitur: Fidei, inquam, vivæ & per charitatem efficaci. Hoc itaque demùm sensu in nostra ecclesia servari dicimus, quotquot servantur. similis ambiguitas est in alterâ phrasi: Nam particula *SINE* vel negat *coexistentiam*, vel *cooperationem* sive apprehensivam, sive meritoriam. Si *coexistentiam* neget, nostra non est sententia adultos sine bonis operibus servari: Ea enim inculcantur omnibus, quicumq; ad salutem æternam adspirant: Si *cooperationem* sive *apprehensivam* sive *meritoriam* neget, non dubitamus, quin homo sine operibus servari rectè dicatur. Huc enim universa scriptura nos vocat. Galat. 2. 16. Ephes. 2.

XX.

Tertiò, inquit Becanus, *nullus salvatur, nisi in ecclesia sancta. At jam probatum est, ecclesiam reformatam non esse sanctam. Nemo igitur in ea salvari potest.* Resp. 1. Sanctitas ecclesiæ est duplex, una ex imputatione, altera inhærens. Hæc rursum est fidei & vitæ: Sanctitas vitæ est inchoata, seu affecta, vel perfecta. 2. Jam si sit sermo de 1. sanctitate, quæ est ex imputatio-




putatione, 2. fidei & 3. vitæ inchoata, vera quidem est major,  
falsissima autem minor. Fides enim nostræ ecclesiæ in se san-  
cta & per eam docemur piè vivere, quod, quotquot sumus  
viva ejus membra, sedulo studemus. Est autem perfectè sancta  
ecclesia propter meritum Christi fide apprehensum. Quæ con-  
tra fidei & vitæ sanctitatem Becanus conclusione secundâ e-  
vomit, os impurum redolent, quod Nos Deo volente, infra i-  
psi obturabimus. 3. si de perfecta vitæ sanctitate Jesuita agat,  
in corpore ecclesiæ nostræ non inveniri agnoscimus: ostendi-  
mus autem illam in ejus capite Christo, ex cujus plenitudine  
gratiam accipimus pro gratiâ. Et hoc sensu si capite separato,  
de solo ecclesiæ in terra militantis corpore agas, major est fal-  
sissima. Univerſa enim scriptura tum veteris tum novi testa-  
menti ecclesiam infirmitatibus, nævis, peccatis obnoxiam  
pronunciat; perfectionem autem in alterum seculum differt.  
Aut igitur nemo à condito mundo in ecclesia servatus est; aut  
neminem nisi in ecclesia perfectè sancta sanctitate in hærente  
servari posse, est falsissimum. Eò procedere eos necessum est  
qui contra veritatem quidvis effutire malunt, quàm  
errorem agnoscere & DEO dare  
gloriam.



C





Ornatissimo Juveni,  
DN. HERMANNO GERHARDO  
disputaturo,  
CASPAR STURMIUS D. F.

**Q**uamvis proficias nihil, Gerharde,  
Ornatissime mi Gerharde, nec sit  
Quod speres meliora commonentem  
Persuadere loquacibus sophistis,  
Nugarumq; recentium Magistris:  
Qui solem in tenebris, die tenebras  
Credunt cernere, nec volunt doceri:  
Certandum tamen est, & asserendum,  
Quod res ipsa probata veritasq; est.  
Sinon omnibus attamen quibusdam  
Observantibus error obviabit,  
Et nox desinet & dies micabit.

---

*Adeundem doctissimum & praestabilissimum  
juvenem,*

DN. HERMANNUM GERHARDUM,

ALIUD

RAPHAELIS EGLINI ICONII, DOCTORIS

& Professoris Theologi Marpurgensis.

**S**ymbolo Apostolico descripta Ecclesia Christi  
Catholica est, quam credimus, & profiteremur aventes,

Quot-




Quotquot Catholici verè sumus! Omnis in illa,  
In qua *Christus* ovat, spes nobis pòsta salutis.  
Cur ergò Papæ asseclas, populumque Quirini,  
Catholicos vulgò dicunt? Num noxius error,  
Mosque tyrannicus & pravi contagia Mundi,  
Nos quoque dementant, tali ut dignemur honore,  
Quos neque re, neque verbo attingit nominis usus?  
Parcite mortales! Sola hoc Ecclesia *Christi*  
Nomine gaudet: honos illi uni hic debet haberi.  
Anne *Jehova* sui simulachris nominis usum  
Concedit? Pia sic mater non fert meretrici  
Catholicum affingi nomen, titulumque fidelem.  
Quo magis indignor cum Mundus sauciat aures,  
Pseudocatholicos dum Catholicos vocat audax!  
Præsìde quæ *Crocio* Magno discernis acutè,  
*Hermanne*, Hassiacæ non infima gloria Musæ.  
Gratulor inceptis, a vibus modò perge secundis:  
Gratia non deêrit, favor, & clementia *Christi*,  
Qui caput est, quem Catholica unum Ecclesia adorar.


16. Novemb. 1619.

F I N I S.






































5  
IV.

**ca genus non est ars nec prudentia.**

ut prolixi simus, nulla flagitat nece sitas: unico igr  
ur: quicunq; habitus philosophicus non est practi-  
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ  
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-  
phis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.  
t prudentiæ propria indoles, uti minore[m] ipsius  
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte  
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-  
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse  
ysicæ non competit definitio Artis. Erg. Major  
tio generis competit speciei generi subjectæ, quia  
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor  
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-  
tfectivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-  
theor. transe. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-  
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-  
es habitus practici: Forlan species alicui compe-  
genus illius speciei? quod ego non crediderim,  
omo sit & non animal. Hac ille. Artem contem-  
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. s. 1. & Scharf. theor.  
p. 20. proclamamus σιδυρόζυλον. Nec juvat eum  
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitore  
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.  
b. 1. art. 3. s. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.  
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

**ca genus non est intelligentia.**

ut non adeò sit apud Dd. Metaph. controver-  
sa brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta  
lidedò non possit esse genus Metaphysicæ, quia  
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic  
ca constituere nequeat, quia præcisè Principia  
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-  
ca esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-  
A 3 jor